CONCIO

AD

CLERUM

LONDINENSEM,

HABITA IN

Ecclesia Parochiali S. ALPHAGI,
Mensis Maii vi. *A. D.* MDCCVII.

Quam composuit & recitare destinavit, si non
in Morbum incidisset,

R. RODERICK S.T.P.
Rector S. *Michaelis Basishaw, London.*

LONDINI,

Impensis S. SMITH, & B. WALFORD, ad Insignia
Principis in Cœmeterio D. Pauli. MDCCVII.

694.e 16
12

CONCIO

AD

CLERUM

LONDINENSEM,

HABITA IN

Ecclesia Parochiali S. ALPHAGI,
Maii 4 D. MDCCVII.

Quam complures reperiantur detinavit, si non
in Morbum incidisset.

R. ROBERTS S.T.P.
Rector S. Michaelis Bassishaw, London.

LONDINI,

Impensis S. SMITH, & B. WALFORD, ad Insignia
Principis in Coemeterio D. Paul. MDCCVII.

JER. Cap. vii. Ver. 12.

Ite ad locum meum in Silo ubi habitavit nomen meum a principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.

NE quid detrimenti capiat Ecclesia Anglicana solliciti sumus omnes; & firmiter speramus quòd singulari benignitate Dei Optimi Maximi, auspiciis Serenissimæ Reginæ, favore Procerum, & vigilantiâ Patrum Fratrumq; sarta tecta conservabitur, & usq; florebit. Verùm dissidiis, incuriâ, & corruptis moribus Professorum ac præcipue Ministrorum frangi & illabi *posse* non est dubitandum. Ista enim Divinam avertunt misericordiam, & Omnipotentis iram accendunt; prout Dominus ipse innuit per Prophetam, *Ite ad locum meum in Silo ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.*

Quæ verba tractaturus ſine irâ & odio, quorum cauſas procul habeo, id mihi negotii in hoc venerabili conſeſſu dari credo, ut particulatim dicam

I. Quòd Silonitarum exemplo monentur Judæi ne inanis eorum prætextus miſeros falleret, qui, quando temerè invocarunt Dei nomen, falsò arbitrati ſunt ſe impunitatem à *Templo* poſſe mutuari, & illo tegere turpitudinem ſuam.

II. Quòd Silonitarum exemplo alii etiam monentur, qui falſas ſpes fovent, &, quamvis *nolint cum timore & tremore ſalutem ſuam operari*, tamen iniquè judicant nec Dei *favorem* in hoc ſæculo, nec *fruitionem* in futuro, ipſis deeſſe poſſe.

III. Concludendum eſt quòd *quicunque* dediti ſunt iniquitati ſpe & expectatione non intercludendi favoris Divini fruſtrabuntur; utpotè per *omnes* ætates Dei ira magis exarſit in eos improbè vitam agentes, quibus maximam miſericordiam *inutiliter* impertiverat.

I. Dicam quòd Silonitarum exemplo monentur Judæi ne inanis eorum prætextus miſeros falleret, qui, quando temerè invocarunt Dei nomen, falsò arbitrati ſunt ſe impunitatem à *Templo* poſſe mutuari, & illo tegere turpitudinem ſuam.

Te-

Teſtatur Iſaias quòd *cùm judicia fecerit Deus in terrâ, juſtitiam diſcent habitatores orbis.* Cogitantibus ſcilicet & animo revolventibus compertum eſt Majeſtatem Divinam non, vel ex incuriâ, vel ex mollitiâ turpiter factis peperſuram: hinc proprio intrinſecùs metu, Domini tertoribus extrinſecùs obſeſſi deſinunt frequenter malefacere, & *omnipotentem* laceſſere iracundiam, ne *æternam* ſubeant.

Hanc ob cauſam juſtus omnium Judex minatur ne percutiat, miſericordiæ memor eſt dum punit, quæq; ſumit ſupplicia vult eſſe diuturna aliis inſignia, ut futuræ ægritudinis quam ipſi identidem merentur recordatione admoneantur, & ad rectè faciendum excitentur. Sic in hoc capite Jeremiæ contumacem atque rebellem Judæorum gentem, ad bonos mores patientiâ & lenitate non alliciendam, acrioribus verbis caſtigat terretq;, ac mittit non ad primævum mundum, Sodomos, Gomorrhæos, vel Ægyptios, non ad quoſpiam exoſos, ſed ad Silonitas, fratres ſuos, olim ſimiliter amatos, tunc ſummam cum benevolentiâ ſeveritatem jungi expertos.

Judæi, quos in hæreditatem ſibi elegerat Deus, utcunque juſtiſſimis muniti ſtatutis, ampliſſimiſq; allecti præmiis, tamen confidenter crediderunt *hiſce* ſe donatos fore, licet *illis* ex

toto receſſerint. Naſcendi felicitas & illuſtris patrimonii ſpes eouſque animos dederant inflatos, eripuerant ſanos, ut ægrè ferrent ſe *iiſdem* quibus *Gentes* boni malique legibus vinciri; quaſi injuria eſſet illis, quibus benignior ſors *plurimum* largita eſt, *quidpiam* negari. Verſibus tertio & quarto hujus capitis *hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael, bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto: nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt.* Nimirum populus iſte præfracti colli, Gratiam Divinam ſemel indultam amitti non poſſe, vel ſaltem reditum ad illam facilem patere perſuaſus, eam eſſe voluit ut obtinere queant peccatores licentiam cupiditatum ſuarum, quas ſibi impunè ceſſuras autumarunt Iſraelitæ, nempe confiſi juſtitiam Dei in *ſuos* ſævire, aut miſericordiam *electo populo* deeſſe, non poſſe. Quantumvis familiare apud ipſos erat *furari, occidere, adulterium committere, jurare falsò, ſuffitum offerre Baal, ambulare poſt Deos alienos, tamen, venientes & ſtantes coram facie Domini in Domo ſuper quam invocatum eſt nomen ejus ſanctiſſimum, dixerunt ſe* libratos *eſſe ad faciendum omnes iſtas abominationes*, verſibus nono & decimo.

Vix

Vix credibile est quam magnifica de se senserunt, & etiamnum jactitant, quòd ex prosopiâ Abrahami, Isaaci, & Jacobi oriundi; quòd fœdere Circumcisionis donati; quòd legibus sapientissimis, terrâ uberrimâ, urbe sacrosanctâ, Temploq; in quo divinior Spiritus hospitari dignabatur, nobilitati, videntes cœlesti sigillo in sortem hæreditariam nullatenus rejiciendam obsignari.

Quantus hinc fastus? Quanta hinc arrogantia orta est? Sed ut *ille* sisti possit, *hæc* minui, superbos corripit Deus, quòd ausi sint nomen ejus immanibus suis moribus prætendere; ac in memoriam revocat quæ *dilectissimis* fecerat propter malitiam ipsorum.

Vobismetipsis miseri illuditis Judæi: *nequicquam* jactatis de Arcâ fœderis in montem Sion traductâ, cùm illa priùs in Silo refugium sceleratis præbere non poterat, licet augustum reverà domicilium quod Divina antiquitùs honestavit præsentia. Sub umbrâ Templi non delitescunt nefarii. Non illud malefîcis Asylum aperitur.

Et profectò multoties ostendit Deus, & ante & post istas Silonitis allatas clades, se non eam infamiæ notam nomini suo inuri voluisse, ut vel cum *Israelitis* veniret in gratiam nisi piis & obsequentibus. Ipsos obedire nolentes

lentes eo magis exercere & punire consuevit *iracundia*, quo magis *amorem* spreviſſent. Quamvis enim, postabito terrarum orbe, parvam Abrahami familiam in peculium sibi elegit, & deinde animas septuaginta, totam Jacobi Domum, quam fame laborantem in Ægyptum miserat, jam tandem excusso servitutis jugo quod ibidem perpessi sunt Israelitæ, post destinatos annos jam sexcenta tria millia virorum, præter viginti millia Levitarum, manu forti & brachio extento eduxit: quamvis eductos singulari benevolentiâ fovit, per desertum exulantibus ducem se præbuit, & affectibus plusquam paternis omnifariàm amplexus est; tamen, cùm crederent immensum amorem, cujus vestigia undequaque impresserat, nullis ipsorum maleficiis exhauriri posse; cùm nollent Deo misericordi & propitio *frui*, iracundum & terribilem *sustinere* coguntur.

Legitur Psalmo septuagesimo octavo, *Audivit Deus, & commotus est, & abhorruit ab Israele, & dereliquit tabernaculum Silo, tentorium ubi habitavit inter homines; & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici; tradidit item gladio populum suum, & hæreditatem suam sprevit.* Penitus rejecta est Silo, ubi, si in

quo-

quopiam loco, benevolentia Dei reſtringi poterat; ubi diu fuerant Arca Fœderis, Altare, & Sacrificia, in quibus tota ſuccedentis Templi ſanctitas reſidebat. Verùm Arca, quæ trecentos ſexaginta novem annos manſit in Silo, ubi habitaverat nomen Dei à *principio*, hoc eſt à primo ingreſſu populi Iſraelitici in terram Cananæam ut quidam volunt, ſeu potius, juxta Chronologiam Hebræorum, à plenâ ſubjugatione illius terræ poſt quatuordecem annos, tandem illa, quam ſingulari benedictione muniverat Deus, propter malitiam dilecti populi repudiata eſt.

Ut refert Joſephus, Silo fuit maximè idoneus ob pulchritudinem locus, in quo maneret Arca donec Templum Hieroſolymitanum in viciniâ commodè poſſet ædificari. Vagum illud Divinæ Majeſtatis domicilium, poſt longam perigrinationem in deſerto, & moram breviorem in Gilgal, fixum videbatur acimmutabile in Silo. Verùm amiſit præſidia ſtabilitatis ſuæ, cùm Iſraelitæ ab innocentiâ uſquequaque recedentes, & flagitiis contaminati, ad iracundiam Deum excitaſſent. Ut legimus 1 libro Samuelis cap. 2. poſt occiſa ex illis quatuor millia, & deinde triginta millia, noluit Dominus exercituum Arcam ſuam conſervare; ſed magis ac magis iraſcens permiſit capi à

Philiſtæis, & *gloriam auferri de Iſraele.* In prælio ceciderunt Ophni & Phineas degeneres filii Pontificis maximi, & ipſe calamitatum onere oppreſſus fractâ cervice exanimatus corruit.

Hinc Jeremias monuit Judæos hæc exempli documenta in inſigni poſita monumento intueri, inde caperent fœdum inceptu, fœdum exitu quod vitarent, inde tam miſerabili conſpectu ab ejuſmodi flagitiis arcerentur. Sed aures illorum non dies aut noctes monitis patuerunt: nec Propheticæ admonitiones poterant improbitatem coercere, vel ruinam amoliri.

Et profectò ſi velimus populi iſtius memoriam recordari ultimam, ex quo ſolvit eorum vincula in Ægypto, & ſignis portentiſque, incantantium vires longè ſuperantibus, ſe Deum eſſe ipſorum manifeſtavit, inveniemus quòd nullum hominum genus fuit unquam ob flagitia acerbiùs tractatum. Peculiaris cœli influxus itinerantes protexit, & etiam rebelles punivit. Et quum, viâ undique difficultatibus obſeſsâ, calamitoſum iter confeciſſent, miſſum cælitùs præſidium, velut panis quo ſaturati fuerant in deſerto, frequenter defecit in terrâ promiſsâ. Id ipſis quod Iſhmaeli contigit, *manus eorum contra omnes,*

omnes, & omnium manus contra eos. Murus aheneus erat Deus obedire *paratis* in *defensionem, recusantibus in excidium.* Hos, *volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, diu sustinuit in multâ patientiâ;* quasi illos, prout Pharaonem, *in hoc ipsum excitasset ut ostenderet virtutem suam, & annunciaretur nomen ejus in universâ terrâ.* Sæpè & multùm eos exercuit misericordiâ & justitiâ, utrâque singulari; *hac* eo magis severâ, quo magis *illam* aspernati essent.

Mitto pestilentias, bella, famem, tempestates, morbos, interna dissidia quibus laborabant. Taceo quòd aliquando septem, octo, decem, viginti tres, quadraginta, octoginta annos, Syris, Moabitis, Philistæis, Ammonitis, Cananæis, aliisque, justo Dei judicio, traditi sunt in servitutem. Prætereo factam à Salmanassare in Assyriam transportationem decem tribuum, & posteà aliarum duarum à Nebuchadnetsare in Babyloniam, Hierosolyma solo æquatâ, Temploque funditùs combusto. Et quamvis tribus Juda & Benjamin post septuaginta annos reductæ sunt, ut ex priori, & quidem in terrâ Cananæâ, Messias nasceretur; tamen utrique, & omnibus Judæis ubicunque dispersis maximas interminata

ta est & attulit clades frequenter læsa Omnipotentis Majestas. Immo (quod summæ infelicitatis nomen excedit) addita est cordis durities, ut ipsâ luce cæcutirent, ut sapientiæ suæ & humanæ prudentiæ innixi, Deique mandatis prætermissis, sibi novas doctrinas & statuta constituerent, & ex *illorum* potius quam *Dei* præscripto viverent. Hinc omnia vitiorum genera liberâ proruperunt portâ, & veritati ac sanctimoniæ præclusa est via. Hinc olim promissum, tunc temporis expectatum respuerunt Messiam; & sibi ultimum, quo Vespasianus Hierosolymam oppressit & totam eorum gentem, accersiverunt excidium, etiam illi qui fecit miserandum.

Nec adhuc lassata est cœlestis vindicta. Dispersi & exsti etiamnum vagantur, sine Republicâ, sceptro, sacrificiis, Templo, aut quopiam vel infimi Populi indicio. Ne respirare quidem liberè audent. In plerisque Regionibus, extra Angliam mitem, misericordem, ita vivunt dum possunt ut ducere animam de cœlo clementi non queant; ita moriuntur ut dolendum sit vixisse.

Frustra jactant atque ostentant *quòd tradita sunt illis eloquia Dei, quod eorum est adop-*

tio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa; quod eorum sunt Patres, & ex iis est Christus secundum carnem. Qui enim à teneris & balbutientibus annis selectas Scripturæ sententias didicerunt, à quinto ad Pentateuchi studium accedunt, post decimum tertium filii præcepti appellantur, & per subsequentes addictissimi sunt Legi & Prophetis, & tamen rejiciunt pluſquam Prophetam, cui *illa* lucem prætulit, quem *hi* illo tempore venturum non obscurè prædixerunt: qui inquam animadvertunt Legis *suæ* efficaciam nullam esse, *Evangelicæ* maximam; *illius* observationi promissa defecisse, *hanc* utcunque summâ vi & malitiâ oppugnatam, paucorum & vilium ministerio longè lateque propagari: qui hæc & alia media aspernati sunt, quæ fidem facerent non obcæcatis, jure merito iracundiam subeunt contumaciæ debitam.

Pergant licet gloriari quòd tanta est virtus Circumcisionis, ut propter eam Deus exaudiat preces Israelitarum, ut nullus circumcisus in gehennam descendat, tamen haud dubium est Deum vineam quam plantavit dextrâ suâ, & propaginem ipsam quam sibi roboravit rejecisse, & Judæos, quondam fortissimè

tiſſimè amatos, ſtatuiſſe monumenta ad memoriam infidelitatis & ſpretæ miſericordiæ ſempiternam.

II. Dicendum eſt quòd Siloniterum exemplo alii etiam monentur, qui falſas ſpes fovent, & quamvis *nolint cum timore & tremore ſalutem ſuam operari*, tamen iniquè judicant nec Dei *favorem* in hoc ſæculo, nec *fruitionem* in futuro, ipſis deeſſe poſſe.

Illa eſt hominum natura, ut ſuis omnibus expleri partibus velit, & ad conſequendam beatitudinem perpetuò rapiatur. Quænam autem hæc fuerit, quibuſve mediis adipiſcenda, magnâ diſſenſione certatur. Qui agnoſcunt omnia à Deo facta eſſe & conſtituta, & ad infinitum tempus regi atque moveri, probè cenſent quicquid rectum, quicquid honeſtum, quicquid denique felicitimum illius beneficio deberi. Verùm ex iis aliqui de fine plurimum, de mediis ad eum neceſſariis parùm ſolliciti, ut poſſent ſpem retinere ſimul & malefacta, confidenter in opinionem Gratiæ immeritæ, & non intermittendi favoris irrepunt. & quanquam ſumma eſt Religio imitari quem colimus, quoad fieri poterit à miſeris peccatoribus Deum *optimum* imitari, tamen nullâ ſua-

ſuaſionum vi in ſobrietatem cogi poſſunt, aut à fœdioribus factis avocari, cùm ſemel ſibi perſuaſerint Deum peculiari jure ſuum eſſe, & ſe ipſi connubio felici junctos, non unquam paſſuro divortium. Sed ut ille phreneticus reſtinguatur ardor, & conſequens licentia libertaſque vivendi præcidantur, meminerint ſibi præſidentes, ſi reprimi nolint validis legum habenis, meminerint Silonitarum, & eorum ſuppliciis moniti ab ejuſmodi flagitiis arceantur.

Quandoquidem ſcelerum *turpitudo* ab iis perpetrandis pauciſſimos deducit, irato perſæpe viſum eſt Numini ſingulare ſupplicium excogitare, & demerentibus infligere, ut ii, quos in officio retinere nec ratio, nec pietas, nec natura ipſa poterit, magnitudine *pœnæ* à maleficiis ſummoverentur, & alios deterrerent. Hoc illud eſt ſalubre ac frugiferum vel in perditiſſimis & miſerrimis hominibus, ut in exemplum propoſitos intueantur alii, & diſcant benefacere.

Ne quipiam nefarii ſeſe evaſuros eſſe confidant, quid illis extimeſcendum ſit capiant documentum à Silo, quondam plurimùm dilectâ. Sed locum & cultum rejecit iraſcens Deus; & Arcam, ſupra quam fuit Propitia-

torium,

torium, & quæ ſignificavit Thronum Gratiæ, Arcam Fœderis & Teſtimonii quo pignore Pater miſericors ſpoſponderat Judæis ſe ibi habitaturum, & illis maximè propitium fore, tandem iracundiâ incitatus Arcam ipſam Philiſtæis infeſtiſſimis in captivitatem tradidit.

Sunt tamen plurimi, ſceleribus truculentis aſtricti, qui ſibi tantùm blandiuntur, ut, omni pœnarum metu vacantes, tot & tanta beneficia elato animo & aperto vultu ſibi polliceantur, quot & quanta probus quiſpiam & modeſtus non auderet tacitus optare. Legimus tertio capite Michææ, commate undecimo, *Principes ejus muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus mercede docebant, & Prophetæ pecuniâ divinabant, & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes, numquid non Dominus in medio noſtrûm? non venient ſuper nos mala.* Ut primùm pro partibus ſuis Deum ſtare, & beatorum albo nomina ſua conſcribi firmiter crediderint, qualitercunque ſe gerant, licet vitiorum immensâ voragine ſummerſi ſint, tamen, *quaſi Dominus non videret, neque Deus Jacob intelligeret*, ſe certò emerſuros & incolumes fore nimis temerarii arbitrantur. Securi ad iram provocant, quia Gratia præſumitur abundare: certè impunitatis ſpes,

maxima

maxima eſt illecebra peccandi. Quanquàm reverà *Altiſſimus odio habeat peccatores*, & *impiis reddet vindictam*, tamen ſtat eorum ſententia, & nihil obſtruet perfugia improborum. Inopiâ virtutum vitia ipſa in ſubſidium vertentur, & pro *atrocitate* ſuâ eo magis Divinam commendabunt miſericordiam: hanc ſemper ſibi officiosè propitiam, aliis præceptam eſſe contendunt. Hinc, quâ ſunt egregiâ charitate, profanum arcent vulgus, & infinitæ benevolentiæ nimium anguſtos ponunt limites.

Quondam veteres iſti ſciſmatici Donatiſtæ ad angulum Africæ, & alii hæretici ad ſuos conventùs Chriſti hæreditatem coarctarunt; ibi requiem ſtatuiſſe, illic ſolum habitaſſe ſtrenuè decreverunt. Eadem opinio nunc dierum vix evellenda multorum animis penitus inſita eſt: & hoc notatu dignum eſt, quod, ubicunque imbibitur, ſemotâ boni malique ratione, omnia juris, pudoris, & officii repagula ſæpè perfringuntur.

Pro more erat apud quoſdam Ethnicos Deorum imagines catenis vincire, ne exterorum precibus aut incantamentis evocati aufugerent: nec ſanè mirum eſt putaſſe vel *invitos* detineri poſſe, quos ipſi fecerant. Sed

iſti, quorum pernicioſos errores redarguere vellem, iniquè ſtatuunt Deum *verum*, quem cœlum cœlorum non continet, captivum ducere, & arctioribus vinculis conſtringere ut adſit propitius; quaſi iniquitates atrociſſimæ *Optimo* non diſplicerent, vel à *Maximo* non poſſent puniri.

At at juſtus peccatorum vindex noluit unquam ſcelera vel chariſſimi populi impunita & inulta dimittere. *Rejecit Tabernaculum Silo* in tribu Ephraim, *ubi habitaverat nomen ejus à principio; & elegit tribum Judah, montem Sion quem dilexit*, ſuper quem tandem fixit Arcam, revera Typum Eccleſiæ Chriſtianæ, contra quam conſpicuam & immobilem non procellarum aut ferocioris populi rabies, *non portæ gehennæ prævalebunt.*

Promiſſum iſtud factum eſt & perſolutum *Univerſali* Eccleſiæ, quæ continet omnes locorum temporumque intervallo, moribus, affectu, vel doctrinâ, quocunque disjunctas, ſed in unum corpus coagmentatas per eſſentiales proprietates, ſcilicet Fidem & Sacramenta. Hæc fuiſſe corrupta à quibuſdam inter primos Chriſtianos non poſſum inficiari; ut à Simone Mago, Gnoſticis, Cerintho, Nicholaitis, aliiſque. Per omnia exinde

ſæcula

ſæcula hæreſium & ſciſmatum authores Eccleſiam pertinaciâ ſuâ conturbarunt: ac vereor ne malum deteſtabile indies ſerpat.

Tota Eccleſia Salvatoris verbo ſtabilita, & patrocinio defenſa, nunquam paſſa aut paſſura eſt defectum. In ſummas anguſtias adduci poteſt, ſed non in *totum* derelinqui, perire, vel falli. Ædificatur ſuper petram; & fundatur ſuper Jehovam, *petram ſuis in perpetuum.* Similis eſt tribus Iſraelitarum Martyribus in fornace ignis ardentis apud Prophetam Danielem, utcunque *flammis* circundata, tamen ſupernè munita *fruitur* innoxiis.

Quoad *particulares* Eccleſias aliter ſe res habet. Sanctus Petrus dicit Ep. 1. cap. 4. *tempus eſt ut* incipiat *judicium* à domo *Dei.* Capite ſecundo Apocalypſeos jubetur Johannes ſcribere ad Eccleſiam Epheſinam, *Memor eſto unde excideris, & age pœnitentiam: ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Sic ſæpiùs ita Omnipotentis quam acerrimè maleficia vindicavit: non pepercit vineæ ſuæ, & propaginem ipſam quam ſibi corroboraverat apro devorandam abjecit. Judex in facinoroſos ſeverus juſtè conſtituit ut multæ Eccleſiæ, ubi olim floruit Evangelium, funditùs

perirent. Hieroſolymitana, Alexandrina, & Antiochena turpiter errarunt, & poſteà deletæ ſunt. Jamdudum celeberrimæ in Africâ, & ſeptem illæ in Aſiâ quas memorat Divus Johannes, ad nihilum reciderunt. Aliæ in Oriente à Turcis & Saracenis, aliæ in Occidente à Gothis & Vandalis plurimùm oppreſſæ, & tantùm non extinctæ ſunt.

Inter cæteras Romana Eccleſia, licet Chriſtianis legibus quondam vincta, & rectè dicta Catholica quando Fidem Catholicam amplexa eſt, tamen carnis, mundi, & diaboli illecebris contaminata in errores, inſolentiam, barbariem, & omnimodam turpitudinem dilapſa eſt. Quamvis olim Catholica appellata à quibuſdam Patribus (ut ſimiliter Smyrnenſis ab Euſebio, Alexandrina ab Epiphanio, & Conſtantinopolitana à Gregorio Nazianzeno) nihilominus Fidem nequiſſimè labefactavit, & in diſſolutam ſe projecit licentiam. Novimus in illâ maximam eſſe defectionem reſpectu primariæ *Sedis*, *Perſonarum*, & *Doctrinarum*.

Sedes, *adſcititiis* Petri ſucceſſoribus Romæ collocata, multoties vaſtata eſt & expilata; ac per ſeptuaginta annos ad Avinionem tranſlata.

Magè

Magè deteſtabilis eſt *Perſonarum* defectus: utpote alii Papæ fuerunt hæretici, alii ſciſmatici. Zepherinus erat Montaniſta, Marcellinus idololatra, Liberius & Felix Arriani, Anaſtaſius Neſtorianus, Honorius Monothelita, & Johannes viceſimus tertius vitam æternam in dubium vocavit. Ex iſtis capitibus Eccleſiæ *ſuppoſititiis* Formoſus, Romanus, Stephanus, & Sergius decreta Prædeceſſorum maledictis & execrationibus reſcindebant. Digladiati ſunt *duo* pro Cathedrâ nequaquam infallibili, ſemel per quadraginta annos. Immo eodem tempore *tres* à factioſis ad Papalem apicem evecti ſunt: quos exauctoravit Concilium Conſtantienſe, & Martinum quintum ſubſtituit in dignitate à nobis meritò execrandâ. Hæc & alia ſciſmata, quæ non vacat commemorare, demonſtrant Romanam Eccleſiam in plurimis defeciſſe.

Cujus inſuper teſtimonium præbent *Doctrinarum* diverſitas & corruptio. Pius ſecundus vocavit alias Eccleſias *Apoſtolicas* & *ſorores*: ſed conventiculum Tridentinum dijudicavit Eccleſiam Romanam eſſe aliarum omnium Matrem ac Dominam, & quod ita credere eſt neceſſarium ad ſalutem. Gregorius primus literis ad Mauritium Imperatorem ſcriptis

ptis voluntariè agnovit ſupremam ejus juriſdictionem, etiam in ſpiritualibus; & in alterâ epiſtolâ *univerſalem* Epiſcopum appellavit *Antichriſtum*: ſed Patres Tridentini (aſſeclæ Papales) decreverunt Dominum ſuum eſſe caput totius Eccleſiæ, Vicarium Chriſti, Vice-Deum in terris, cujus nutu aperiuntur cœli, & ſolis iis qui illi ſe dederint in ſervitutem. Hinc Romanenſes dogmatum & diſputationum laqueis irretitos tenent ſectatores ſuos, & eludunt. Hinc confuſâ opinionum farragine in medio tritici diſſeminantur zizania, & ſparguntur venena; cœlo miſcetur terra, & Divinis humana præferuntur.

Tota Eccleſia firmiſſimo nititur fundamento, nempe Jeſu Chriſto: ſed ſuper hoc fundamentum ædificarunt Papiſtæ (ut loquitur Apoſtolus) *ligna, fœnum, ſtipulam.* Apud illos avaritia & ambitio multas excogitarunt fabulas, quibus non audemus fidem adjungere. Doctrina infallibilitatis, meritorum, indulgentiarum, purgatorii, tranſubſtantiationis, cultûs imaginum, communionis ſub unâ ſpecie; hæc & alia figmenta palàm faciunt ſuſpenſos & incertos obſcura ſpe & cæca expectatione illos pendere, & de præſidio ac tutelâ Dei dejectos eſſe. An autem Roma

ſit

sit viribus suis iterum ruitura, non licet mihi esse fatidico.

Lubet potiùs me convertere ad Ecclesiam Anglicanam, Orthodoxam, Catholicam, & Apostolicam. Quamvis hæc Divinâ Providentiâ stabilita sit & confirmata, ac humanis multifariàm suffulta præsidiis, tamen timeo Ecclesiæ nostræ propter litigationes, quia timeo minas Dei contra litigiosos. Hinc infixus animo hæret dolor quod multi, nullâ privatim læsi injuriâ, nullis impulsi inimicitiis, sed affectuum impetu concitati, aut præmiorum spe adducti, partium studio abripiuntur, & maledictis insectantur eos à quibus de veritate dissentiunt, & sunt ejusmodi ut de aliquo ex adversis castris nec loqui velint quidpiam boni, nec audire sustineant.

——— *Pudet hæc opprobria nobis*
Et dici potuisse, & non potuisse refelli.

Ut autem omnis dissensio, quæ frangit animos, & debilitat virtutes, restinguatur, & præceps ardor subsidat; ut demum pacata tempora succedant, & sopitis dissidii causis, felici auspicio coalescere nobis detur, remoti simus à studiis honorum, divitiarum, & mundanæ

danæ amplitudinis, ac ſine *terreno* ambitu ad rectè faciendum alliciamur, pleni expectatione *cæleſtis gloriæ*, & *æternæ beatitudinis*. Qui ſecùs fecerint de præſenti & futurâ ſalute non mediocriter pertimeſcant. Quippe, ut jam ultimo loco dicetur,

III. Concludendum eſt quod *quicunque* dediti ſunt iniquitati ſpe & expectatione non intercludendi, favoris Divini fruſtrabuntur; utpotè per *omnes* ætates Dei ira magis exarſit in eos improbè vitam agentes quibus maximam miſericordiam *inutiliter* impertiverat.

Inter illa quæ ſcelerum architecti excogitant, vix quidpiam reperitur, ipſorum ſaluti magis obſtruere, vel Dei honori magis officere, quam quòd credunt ſe illi benignè acceptos fore, licet improbiſſimè ad vindictam provocaverint. Multùm attribuunt *miſericordiæ* Divinæ, multùm detrahunt *juſtitiæ*. Hinc de mercede Religionis ſecuri, fiunt minùs religioſi. Chriſtianâ libertate immixi inanumiſſionem aſſequuntur parem Romanorum victoriæ in Aſiaticos reportatæ, quæ ipſis ſervile magis impoſuit jugum, & moribus corruptiſſimis ſubjecit, graviſſimam tyrannidem exercentibus. Sed ut hic Religionis abuſus reſtingui poſſit,

hæc

hæc contagio sisti, perpendamus quòd Deus, utcunque clementissimus, est etiam ignis consumens, & perdet quos nequit purificare. Læsa patientia fit furor.

Ab ultimis rerum primordiis acerbiùs iram accendit rejecta misericordia. Ipsos *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Qui refugerunt eminentissima cœli privilegia probitate morum ornare, ad infima gehennæ loca extruduntur: antiqua felicitas convertitur in maledictionem, & sine salutis spe, vel exitii solatio, Dei præsentiam *sentiunt* in maximis tormentis, quâ noluerunt *frui* in summâ beatitudine.

Eadem justitia primos itidem parentes ulciscebatur: cùm hi Divinam imaginem nuperrimè impressam turpitudine inquinassent, maleficium calamitoso exilio mulctatum est, & severè vindicatum: E Paradiso ejecti sunt Adamus & Eva, ut conflictarentur, ille telluris sterilitate, hæc uteri fœcunditate, uterque peccati, satanæ, ac mortis tyrannide.

Post mille sexcentos annos à mundo condito, propter malitiam incolarum, tanta successit mutatio, ut, turbato rerum ordine, ruptis

abyſſi magnæ fontibus, & apertis cœli cataractis, cœlum terræ miſceretur, & totum ferè hominum ac pecudum genus immani aquarum diluvie obrutum interiret.

Nefariæ civitates Sodomorum & Gomorrhæorum cælitùs dimiſſo ignis ac ſulphuris imbre ſunt abſorptæ.

Nec tamen adhuc miſerrimorum ſupplicium intercluſit criminum vias, aut aliorum impietatem coercuit. Proni ad vitia lapſi ſunt pœnè omnes. Quæ vox? quæ latera? quæ vires catholici hujus contagii querimoniam poſſint ſuſtinere?

Inter eos qui ſunt ex ſtirpe Adami, revocetur in memoriam illos, niſi pœnitentiam agerent, eſſe graviùs punitos, quos ad peccandum allectavit *clementia*, quibus plura Gratiæ media fuerunt indulta. Teſtor Judæos in ſingulari amore habitos, quos, utut dilectos, etiam ſpreto viſcerum ſuorum renixu, ob malitiam repudiavit Deus. Aliquoties (uti loquitur Pſalmiſta) *viam fecit ſemitæ iræ ſuæ*, nempe ne quid impetum ejus cohiberet, aut moram injiceret: contra eos *defixit aciem, tetendit arcum ſuum quaſi inimicus, firmavit dextram ſuam quaſi hoſtis*; & jam congreſſurus, quarto capite Prophetæ Amos ſarcaſticè dixit,

præ-

præparare in occursum Dei tui Israel. Ah Domine quid est homo, ut offenso Numini audeat occurrere; vel filius hominis, ut possit resistere, nisi, in modum Jacobi se dantis in occursum fratri Esauo, *precibus & supplicationibus?* Sic, sic solùm instructis licebit, ut olim isti Patriarchæ, *colluctari cum Deo, & prævalere.* Verùm Judæos ad hæc arma non confugientes *dissipavit Deus, obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, projecit de cœlo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui, polluit regnum & principes ejus.* Ipsum etiam Templum Solomonis magnificentissimum, Deo sacratum & maximoperè charum, illius permissione funditùs diruerunt Chaldæi, quando *universi principes sacerdotum, & populus, prævaricati sunt iniquè juxta universas abominationes Gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Jerusalem.* Captivam Judæorum gentem, septuaginta annorum spatio in Babylone detentam, restituit Cyrus, & ejus subsidio Zorobabel amplissimum instauravit Templum; quod tamen à Deo posteà desertum & abjectum Antiochus Epiphanes violavit, Pompeius profanavit, Crassus sacrilegè spoliavit, ac tandem Titus delevit radicitùs.

Si hoc factum est in viridi ligno, quid fiet in arido? Si repulit Dominus Altare suum, & maledixit Sanctificationi suæ, quomodo parcet *Gentilibus, exteris*, iis qui sunt *abortivi*? Quousque igitur abutemur *Christiani* patientiâ Divinâ? Quam diu fese effrænata jactabit audacia, non sopita pœnarum formidine? Sanè ex quo Christiana Religio in orbem invecta est, consuevit Deus pro magnitudine benevolentiæ *nequicquam* oblatæ immorigeros punire, & magis austerum se præbere, quia magis benignum se anteà impertivisset. Non hominum cruciatu & supplicio pascit oculos, animumque exsaturat, sola clementiâ gaudet atque triumphat: sed cùm etiam infinitè justus sit, tenetur *vindex* esse Religionis violatæ, quam ritè cultam lubentissimè *remunerasset*.

Infans Ecclesia sustentantis patrocinio fruebatur, & propagata est; *adulta* ejusdem subsidiis usa est, & in omnem posteritatem disseminata: & si aliquando inimicorum persecutionibus & contumeliis fuit operta ac vexata, emersit tandem, & ad eum splendoris gradum, in quo *vicaria* Principum munificentia locaverat, *supremi* Præsidis beneficio elata est.

Verùm cùm Hæreticorum & Scismaticorum multitudo, speciem pietatis mentita, virtutem

ejus

ejus abnegasset; cùm vera sanctimonia in contemptum, sacræ leges in desuetudinem, & Christiani in contrarias partes iviſſent, misit in eos furorem indignationis suæ, non amplius misericordiæ memor nisi ut rejecta iram inflammaret. *Biberunt de manu Domini calicem*, fundum *calicis Divinæ indignationis*. Internæ discordiæ, externæ Barbarorum incursiones, & totius ferè orbis conspiratio ad Christianum nomen extinguendum, pessimorum optimæ Fidei Professorum impietatem latè diffusam atrocissimè castigarunt. Intereà abjectos & afflictos excitare noluit zelotes Deus, & oblitus est misereri.

Quicquid verò uspiam *nativæ* ipsius clementiæ detractum fuit, quicquid *adventitiæ* acerbitati indultum, proposito susceptoque ab æterno ascribendum est consilio; nemini gravis esse voluit, nemini non obstinatè peccanti severus. Semper promovendæ omnium saluti sese libentiùs accommodavit. Hoc natura illius habet maximè Divinum quòd *velit*, hoc sibi gratissimum quòd *possit* plurimis benefacere. Quasi accepisse contigerit quoties confert beneficia, pro omnifariam datis nihil aliud expectat, quam ut prioribus obstricti nova efflagitare, & habere sæpiùs velint.

Infinita

Infinitâ ejus bonitate freti, excuſſis ignavia & ſecuritate, bonorum operum ſtudio incumbamus, & in Deo collocemus fiduciam, nec propriâ ſocordiâ, nec aliorum vafritie labefactandam. Si à flagitiis ſummoti vitam agamus in ſanctitate & puritate, confirmabimur infractâ cœleſtium promiſſionum ſpe, & certâ expectatione adventûs Domini cum gloriâ ineffabili, & majeſtate quàm ampliſſimâ. Non timebimus tremendum Chriſti Tribunal, non horrendum illud ſpectaculum, quando cœlum & terra conflagrabunt, diffluent, & vehementi ſtridore ruent in interitum; quando, ordine naturæ inverſo, & ruptis Univerſi repagulis videbuntur omnia in primum nihil, aut ſaltem in antiquum chaos reditura. Si moribus honeſtis Religionem ornemus, abhorrentes ab omnibus mundi, carnis, & diaboli inquinamentis, atque addicti ſimus probitati ac ſanctimoniæ, tunc, quando fractus illabetur orbis, impavidos, & incolumes, & in perpetuum beatos ferient ruinæ. Si verbo exemploque os improbis obſtruamus, à maleficiis eos revocemus qui pietati nuncium remiſerunt, & efficaciter evincamus illos qui licenter in errorum campo vagantur; ſi multos *ad juſtitiam & ſanctitudinem erudiamus, fulgebimus quaſi ſplendor*

fir-

firmamenti, quaſi ſtellæ in cœlis altiſſimis. Quandam Apotheoſin quodammodo ſortiemur: & fiemus (ſtupeſco referens) θείας κοινωνοὶ φύσεως ut loquitur Divus Petrus, *Divinæ conſortes naturæ*; non ſecundum Manichæos, qui nos extraduce Dei ortos, & decurſo vitæ ſtadio in originem priſtinam reverſuros eſſe ſomniabant. Non in *proprietate* Divinæ naturæ, ſed *ſimilitudine* perficiemur: &, quantum fert humana imbecillitas, in hac vitâ innocentiæ participes, in futurâ æternæ felicitatis ſocii admittemur. Quod faxit Deus per merita Domini noſtri Jeſu Chriſti; cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

FINIS.

FINIS.

BRITISH MUSEUM